



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 48. Cæsareorum solertia in tuendo Mediolanensi Ducato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A. C. 1524.

§. XLVIII.

Cæsareorum solertia in tuendo Mediolanensi Ducatu.

Nihilominus Borbonii Dux, & Piscarius Marchio Gallos prævenerant, suasque copias Papiæ Proregi Neapolitano jungebant, ibidemque de opportunis Mediolanensem Ducatum tuendi mediis consultabant. Urgebat illos vel maxime Moroni Cancellarii epistola, qua Piscario significatum, quod Mediolani Metropolis olim adeo magnifica amplo jam cæmeterio haud ablimilis existeret, atque infra bimestre quinquagies mille homines pestis vi fuerint abrepti, ac terræ mandati, nec minus arctior annonæ inopia illam premeret, cum eam invehere, rusticos morbi metus prohiberet: Præterea urbem hanc nobilibus passim ex ea abeuntibus maxima pecuniarum penuria pressam, illiusque munimenta omni ferme præsidio nudata scribebat: eo quod istorum reparatio ob pestis violentiam fuerit neglecta. In hoc rerum statu Lanoyus nil reliquum habebat, quam ut Alexandrinæ urbi, quam Rex pertransire debebat, duo peditum millia imponeret, ut Franciscum, si forte urbem aggredi vellet, aliquamdiu detinere posset. Præterea Antonium de Leva cum ducen-

ducentis Hispanis ac sex Germanorum Sæcul. XVI.
A.C. 1524.
 peditum millibus Papiam misit, Regis-
 que adventum ad Mediolanensem ur-
 bem prævertere studuit. Vix Lanoyus
 Mediolanum ingrediebatur, cum jam-
 jam Salutarum Marchio a Francisco
 Rege deputatus cum ducentis cata-
 phractis, & quatuor peditum millibus
 Vercellensis urbis portas infestaret, tan-
 toque impetu suburbium adoriretur, ut
 Hispanos, qui oppugnantibus resistere
 conabantur, ad interiora urbis loca re-
 pelleret. Hæc dum geruntur, Trimol-
 lius quoque cum valido equitum pedi-
 tumque agmine accurrebat, ut Saluta-
 rum Marchionem tueretur. Lanoyus
 totam Gallici exercitus molem sibi soli
 impendere, ac Mediolanensi urbi inclu-
 di veritus, cum eam sustinendæ obsidio-
 ni imparem nosset, unacum Borbonio,
 & Piscario per portam Romanam ex-
 cessit, Laudamque sese recepit.

§. XLIX.

*Gallorum socordia in insequendo
 hoste.*

In eo statu tum Cæsareorum res erant,
 ut integram exercitus cladem nec
 provida Borbonii consilia, nec Piscarii
 fortitudo, nec Lanoyii auctoritas præ-
 cavere potuissent, si Gallorum exercitus
 fugien-